

idem. Unde et in modo quo
rursum apud Linnéus dicitur: non nego quod nomen
tumulo deo sit, sed quod est hoc deus? Non
nego quod ob omni DE

PLANTIS IN EXPEDITIONE ROMAN-ZOFFIANA.

OBSERVATIS DISSENERERE PERGITUR.

SYNANTHEREAE ADDENDAE.

AUCTORE CHR. FR. LESSING.

Cichoraceae (p. 98).

TROXIMON Gaertn.

Troximon apargioides n. sp.

Cel. de Chamisso in California (v. sp. s. plura).

Facies *Krigiae virginicae* vel etiam *Apargiae autumnalis* *monocephala*. Rhizoma multiceps, pennam corvinam crassum, apice rosulas foliorum protrudens, caulis uno pluribusve simplicissimis, glabris, monocephalis, apice haud incrassatis intermixtis. Folia glabra, anguste linearilanceolata, integerrima — pinnatifida, laciniis semilanceolatis, remotis, divergentibus, longe, saepe longissime petiolata, petiolis basi dilatatis adjectis 3 — 6" longa, $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ " lata. Involucrum floribus brevius, multiseriale, foliolis obtusiusculis, planis, margine scariosis, plerisque extus hirsutis. Rhachis plana, nuda. Ovaria glabra, rostrata, multicostata. Corollae luteae, lingulis tubum pilosiusculum excedentibus. Antherae caudatae, caudis integris, filamenti articulum superiorem excedentibus, alis minutis, rotundo ellipticis, obtusis. Stylus ut in tribu. Pappus caducus, pluri-serialis, capillaris, minute serrulatus, albus.

Obs. Quamquam *Troximon* perscrutari adhuc mihi non licuerit, attamen huic generi plantam adnumeravi. *Tragopogon fritillarioides* Linn. VI. 101 est congener, sed *Tragopogon* differt tantummodo pappo corneo-setaceo. Secundum cl. Don recedit *Picrosia* a *Troximone* alis antherarum rotundo-ellipticis nec oblongo-ellipticis.

Asteroidae (p. 188).

Subtrib. *Astereae*.

SOLIDAGO L.*)

11. *SOLIDAGO petiolaris* Ait. W. sp. pl. III. n. 2062.
Ej. hrb. n. 15965.

In California legit cel. de Chamisso.

12. *SOLIDAGO lanceolata* Ait. W. sp. pl. III. n. 2062.
Ej. hrb. n. 15967. *Chrysocoma graminifolia* L.

Cum praecedente.

13. *SOLIDAGO stricta* W. sp. l. c. Ej. hrb. n. 15966.
Ait. h. kew. ed. 2. V. p. 68.

Cum praecedentibus.

14. *SOLIDAGO puberula* Nutt. North. Am. pl. II. p. 162
(secundum descript.).

Cum praecedentibus.

ERIGERON.

(*Linnaea* V. 145. VI. 126.)

3. *ERIGERON lepidotus* n. sp.

III. de Chamisso in O-Wahu (v. sp. s. l. ∞).

Conyzae albidae similis. Fruticulus ramis aggregatis, teretibus, atrofuscis, striatis, adultis aphyllis foliorumque lapsu tuberculatis, junioribus usque ad apices dense foliatis. Folia sparsa, sessilia, linearia, acuta, basin versus an-

* Subgenus *Asteris* Linn. (*erisiliis*), *alpestris* Linn. (*erisiliis*).